



387

1684 12

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

De

MATRIMONIO

AD

MORGANATICAM,

10

Quam
Indultu

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
SUB PRÆSIDIO

167

DN. JOH. CAROLINÆVII,
J. U. D. CURIÆ ELECTORALIS ET CON-
SISTORII ECCLESIASTICI, QUÆ HIC SUNT,
ADVOCATI ORDINARIJ,
DN. PATRONI, AGNATI STUDIO-
RUMQUE PROMOTORIS

*Omnibonoris debitaq; observantia cultu et atem
devenerandi,*

Publicæ censuræ submittit

CASPAR THEODORUS NÆVIUS,
Chemn. Misn.

In Auditorio Jctorum

Ad diem Julii MDC LXXXIV.

WITTENBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

FLORENTISSIMO CHEMNICENSILIM
SENATUI,

VIRIS

*Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis
Prudentissimisq̄*

DNN.

CONSULIBUS,
PRÆTORIBUS

AC

SENATORIBUS,

*Patronis, Parenti & Agnato, Everge-
tis studiorumq̄ suorum Promotoribus perpetuo ho-
noris, pietatis debitæq̄ observantiae cultu
prosequendis,*

Exercitium hoc Academicum

in

ulteriore sui commendationem

cum voto

omnigenæ felicitatis &
fausti fortunatiq̄ve regiminis

offert

CASPAR THEOD. NÆVIUS,

Respond.



PROOEMIUM.



Mirum, quod nullo non seculo viri vixerint, qui licet prudentia civili & eruditione aliàs insignes, in hoc tamen hallucinati, quod de sexu muliebri, ipsoque matrimonio minus, quàm decet, honestè scripserint. Nec enim desunt opprobria plurima hinc inde in monumentis eruditorum prodita, quæis toto generi foemino imponuntur, quibus ipsa naturalis ratio contradicit: aut quæ non sexui, sed quibusdam modò individuis conveniunt. Quorsum referenda sunt illa **STOBAEI** *Sermon. 187.* mulierem, appellantis, ἀθάνατον κακὸν ἀναγκάσιον, perpetuum & necessarium malum: & **NEVIZANI** in *Sylv. Nuptiar. lib. 1. sub cap. non est nubendum*, ubi argumenta varia contra uxores & conjugium ineundum collegit, velut: *Quod uxor studia impediatur: multa necessaria puta, pretiosas vestes, gemmas, ancillas, supellectilem requirat: ceterum sit garrula, agens quæstiones tediosas, quæ fortè ornatior & honestior in publicum processerit: insuper affectum alterius erga maritum & affatum suum suspicetur odium; nec, quod maximum, uxorum detur electio, sed quælibet an iracunda, fatua, deformis, aut superba sit, post nuptias demum discatur.* Sed has nugas mittimus. Magis verò mirari subit, quod *Concilium Tridentinum Sess. 8. can. 20.* anathema vibret in eos, qui non dixerint: *melius esse ac beatius manere in virginitate ac cælibatu, quàm jungi ma-*

trimonio. Id quod assentatores Sedis Rom. largius extendunt dicendo, cœlibes sanctiores, justiores & perfectiores esse coram Deo conjugatis, imò mereri vitam æternam, & cœlibatu suo satisfacere pro peccatis, MATTH. HOE ab HOENEG *ad cap. 14. Apocal. n. 4. p. 40.* MART. CHEMNIT. *ad d. sess. 8. cap. 8. & 9.* & qui ab his allegati sunt. Quibus meritò licebit opponere anathema Concilii Gangrensis, quod teste BARTHOL. CARANZA *in summa Concilior. cap. 10. & 12. fol. 95.* decretum est adversus eos, qui volentes virginitatem propter Dominum servare exinde extolluntur erga conjugatos; nec non, qui propter continentiam amictu pallii utentes per hoc justitiam se habere credunt. Neque enim dubium est, quin istæ omnia in contemptum ordinationis divinæ & opprobrium Christi velut unici medii propitiatorii pro peccatis proferantur. Atque hinc magis piè & decenter scripsit sacratissimus Imp. Justinianus *in Nov. 140. pr. & Nov. 22. pr. Nihil, inquam, in rebus mortalium perinde venerandum, atque matrimonium, velut ex quo generi humano immortalitas artificiosè inducitur.* Quod & Leoni *in Nov. 20.* placuit, dicenti, *conjugium ceu magnum & excellens donum à Deo Creatore ad mortales promanasse.* Quare id affectatæ virginitati & commixtionem cuilibet inordinatæ longè præferendum est. Neque illustres quoque personæ hac in parte turpitudinem fornicationis, aut contemptum matrimonii dignitatis suæ præcellentiam palliare poterunt, ut ratio status hoc magis svadere videatur; siquidem æterna est autoritas eorum, quæ naturalem honestatem habent. Si verò favor filiorum prioris matrimonii, vel Agnatorum fortè aliud jubeat, præstat posteriori conjugio pacta adjicere, quibus matrimonium quidem sanctum & illibatum servatur; jus vero successionis liberorum in bo-
ra

na paterna aut familiae prerogativa aliquantum limitatur.
Quod jam olim Longobardos observasse, *Tit. 29. II. Feud.*
docet: Quem titulum nunc explicare latius animum in-
duximus, de quo, ut id procedat feliciter, Numen divi-
num veneramus!

DE FILIIS NATIS EX MATRIMONIO
AD MORGANATICAM CONTRACTO,
LIB. II. FEUD. TIT. XXIX.

Quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus
non valens continere aliam minus nobilem duxit: qui no-
lens existere in peccato, eam desponsavit, eâ lege, ut nec
ipsa nec filii ejus amplius habeant de bonis patris, quàm
dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia decem libras,
vel quantum voluerit dare quando eam desponsavit: quod
Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam:
alibi lege Salica. Hic filiis ex ea susceptis discessit. Isti
in proprietatem non succedunt, aliis extantibus: sed nec
in feudo, etiam aliis non existentibus: qui licet legitimi
sunt, tamen in beneficio minimè succedunt. In proprietate
vero succedunt patri, prioribus non existentibus. Succe-
dunt etiam fratribus sine legitima prole decedentibus se-
cundum usum Mediolanensium.

CAPUT I.

De

*Furibus Longobardorum seu
Mediolanensium & Lege Salica.*

Desponsationem ad Morganaticam per usum Medio-
lanensium & legem Salicam introductam esse legimus

A 3

in



in textu nostro, ubi præmittendum, Mediolanum fuisse
caput Gentis Insubrum intra fines Italiae, quæ regio ampla
& dives hoc nomine vetustissimis jam temporibus gavisâ
est, POLYBIO teste *lib. 16.* Et licet aliquando Galliae Celti-
cæ commixta multitudo, velut Bituriges, Senones, Hedui,
Carnutes & alii in unum quasi corpus coaliti terras Insu-
brum occupassent, nomen pristinum tamen regionis non
mutarunt, sed ipsimet nomen Insubrum assumsere, ut LI-
VIUS *Hist. lib. 5.* PLUTARCHUS & alii apud PHILIPPUM
CLUVER. *Ital. Antiq. lib. 1. cap. 24. fol. in edit. Lugdun. 137.*
fufius monstrant. Hinc cum isti Populi Gallici feudorum
mores servaverint, vix dubitandum eos Mediolani feudo-
rum principia posuisse eava in Italiam induxisse. Non e-
nim est, ut dubitemus, feudorum mores plerisque, si non o-
mnibus, Galliae & Germaniae populis fuisse cognitos & usi-
tatos; nec Francis unice & Longobordis eorum originem
censemus adscribendam, licet quoad rapsodiam nostram
feudalem Longobardis quicquam præcipui debeatur. Et
quidem mores feudales dicto modo communes fuisse plu-
ribus gentibus Galliae & Germaniae, id valdè firmiter testi-
monium CÆSARIS & TACITI. Nam ille *lib. 6. de Bell.*
Gall. multa de Gallorum clientibus, ut quibus fas non fue-
rit deserere dominum suum, etiam in extremis malorum,
& de clientelis quoque differit: quod pristinas nempe resti-
tuerint: alias de novo comparaverint, vel sibi invicem
ademerint, & *lib. 7.* testatur expressè, quod apud Æduos,
gentem Gallicam, populus in suas cujusque clientelas di-
visus fuerit. Idem d. *lib. 6. de Populis Germaniae* scri-
bit, quod Magistratus & Princeps in annos singulos genti-
bus cognationibusque hominum, quantum eis, & quo loco
visum est, attribuerint agros, & anno post aliò transire coë-
gerint. Quod videtur convenire cum textu Juris nostri
feu-

Feud I. Feud. I. §. 1. tempore antiquissimo Dominos, quando voluerint, potuisse auferrem in feudum à sedatam, postea verò placuisse, ut id per annum tantum firmitatem habeat : deinde statutum, ut usque ad vitam fidelis producat : hinc ut in Vasalli filiis eis, in quibus dominus voluerit, beneficium confirmetur; ac demum, ut ad omnes æqualiter veniat. Ex TACITI *v. lib. 2. §. 13. de Moribus German.* huc referimus, quod scribit *cuilibet Duci certos Comites fuisse assignatos*, per quos Vasallos intelligimus, quales tamen Vasalli & feuda eorum tum magis, cum hæc in omnes heredes masculos transiere, formam determinatam cum investituræ certis solennibus accepisse, credibile est. Igitur licet Romani suarum alias legum semper tenaces extiterint, & in Italia imprimis observantiæ novarum legum, quoad id fieri potuerit, obicem posuerint; Quia tamen Insubrum regio magis, quam alia Germanorum Populorum invasiones experta est, factum videtur, ut mores hujus nationis semel inoliti nullo non seculo Mediolani & in ejus vicinia quasi restaurati fuerint, simulque cum Romanis legibus viguerint. Imprimis verò mores Germanicarum Gentium ibi robur videntur accepisse, cum Narfes Longobardos sub Rege eorum Alboino ex Pannonia in Italiam pellexit, quod contigit, quum is ab Imperatore JUSTINO II. Constantinopolim ob suspicionem Regni affectati vocaretur, & Sophiæ Augustæ ignominiosis literis, quod in Gynecæo & lanificii penso ejus opera indigeret, incitaretur. Ex quo quidem facto Narfes majorem Italiæ proditæ offensam incidit, quam ante ejus servatæ per Gothos profligatos gratiam consecutus erat. Nam Longobardi per Noricum, quæ hodiè Austria est, & Liburniam, quæ jam Fori-Julii provincia dicitur, Italiã irruerunt, & celeri fortuna Brixiam, Bergamum, Comum, ipsum-

ipsumq; Mediolanum occupavere, ubi Eis Regiã & regnum
suum in Italia stabilire placuit, ut apud PAUL. WARNE-
FRID. *de Gest. Longobard. lib. 2. cap. 1. seq.* CAROL. SI-
GON. *de regn. Italia lib. 1. ad ann. 566. & seq.* BLOND.
FLAV. *in Histor. Rom. lib. 8. 1. fol. m. 101.* ERYC. PUTEAN.
Histor. Insubr. lib. 2. & alios legere licet. Quo facto mo-
res Longobardorum majori reverentia excipere oportuit.
Et cum hi Populi, velut olim Lacedæmonii magis ea, quæ
pro legibus observarunt, memoriæ tradiderint, difficile
visum est, regni finibus quotannis latius extensis, morum
hujusmodi observantiam solâ memoriâ custodire. Quare
Rotharis VII. eorum Rex in Italia leges, quas usu solo tene-
bant, scriptorum serie composuit, Codicemq; istorum E-
dictum appellavit, ut laudatus WARNEFRID *lib. 4. c. 49.*
& CAROL. SIGON. *d. lib. 2. Hist. Ital. ad ann. 643.* testes
sunt. Quem Regē sequentes hâc in parte secuti, & partim au-
ctione partim emēdatione Codicē istū juvarunt. Quinimò
is nec CAROLI M. tempore vigorē suum amisit, velut qui
plurima capitula legibus Longobardorum addidit, ut ex
CAROL. SIGON. *lib. 4. de Regn. Ital.* ARTH. DUCK *de*
Autor. Jur. Civil. lib. 2. cap. 5. §. 24. & GOLDAST. *imper.*
Constit. Tom. III. fol. m. 146. apparet. Cumq; sub Caroli-
na stirpe in Italia triplici jure, nempe Romanorum, Fran-
corum & Longobardorum usi sint per *tit. 1. Feud. II.* fa-
ctum est deinde, ut Obertus de Orto & Gerardus Niger,
vel qui alius fuerit autor, studio privato eam partem Juris
Longobardici & Salicæ legis collegerit, quæ de clientelis
militaribus & feudis regni egere, atque tum in Curia Me-
diolanensi recepta fuere. Salica enim lex à Saliis seu Fran-
cis dicitur Orientalibus, ut ex SIGON. *lib. 4. ad an. 773.* &
PAULO ÆMYLIO *de regno Franc. in Philipp. V. fol. m. 263.*
nec non OTTONE FRISINGENSI, *lib. 4. Chron. cap. 32.*
patet,

patet, ubi hic lege, inquit, *Salicâ nobilissimi Francorum,*
qvi Salici dicuntur, utuntur. An vero Franci Salici dicti
fuerint à Salagasto, Primate & Duce eorum, ut LUDOLPH.
BABENBERG *de Jur. Regn. & Imp. Rom. cap. 1.* tradidit
suo loco relinqvimus. Atq; his receptis moribus additæ sunt
in Rapsodia nostra Feudali constitutiones aliquot LOTHARII,
FRIDERICI I. & aliorum Imper. FRANC. DUAREN.
ad Consuet. Feudor. cap. 1. Dn. STRUV. *Jur. Feudal. cap. 1.*
5. Postea FRIDERICUS II. teste PANDULPH. COL-
LUTIO *ap. Conring. de Origin. Jur. Saxon. cap. 33.* librum
hunc Feudorum in ordinem redegit, ex quo is in scholis
receptus decima Collatio vocatus est; imo meruit, ut
CUSPINIANO teste, à FRIDERICO III. confirmaretur,
sed forte is alius, quàm nos habemus, liber fuit, ut ex CU-
SPINIANI verbis *fol. 512.* satis constare videtur, unde & de
confirmatione libri nostri Feudorum multi adhuc du-
bitant, quia decretum hac de re nullum extat, CONRINGIO
attestante *d. 1.* Sed verò licet noster liber Feudorum
nullo Germaniæ decreto publico vim legis acceperit, &
etiamnum consuetudinum nomen & naturam retineat; i-
ta tamen hodie observatur, ut ubi causa ex specialibus in-
vestituræ pactis, aut ex jure singularium locorum, provin-
ciarum, familiarum & personarum consuetudine decidi
nequeat, ex his libris decisio petatur, ut de pluribus Euro-
pæ Populis, velut Germaniæ, Italiæ, Siciliae testatur CU-
JACIUS *lib. 1. de feud. pr. & ROSENTHAL. de Feud. cap. 1.*
concl. 9. cum allegat. De Gallia dissentit MOLINÆUS *in*
Consuetud. Parisiens. Tit. 1. pr. n. 105. m. & seq. & DUARE-
NUS d. cap. 1. n. 5. Et quamvis cum LIMNÆO *ad capit.*
Carol. V. art. 24. n. 35. concedamus, quod usus Feudales hi
aliarum nationum Juri feudali non derogent; certum ta-
men est, eos, non in vitis Germaniæ Principibus ipsisq; imò
B ju-

jubentibus, in Academiis publicè legi & doceri: & hinc Juris communis auctoritatem, deficiente jure speciali, habere: nec est amplius, ut pro jure Longobardorum, sed communi potius recepto æstimentur, ARTH. DUCK *de ant. Jur. Civil. lib. 1. cap. 6. n. 7.* GOTFRED. ANTON. *Disp. Feudal. 1. tb. 1. lit. m.* Cujus observantiæ & ipsimet Principes, si quem contractum feudalem inierunt, se submitunt, ut SIMON. PISTOR. *Conf. 4. n. 19. 20. & seq. fol. m. 86. post. volum. 2. Modestin. deducit.* Nam licet ei legibus hujusmodi aliàs soluti sint; in dubio tamen jure communi uti præsumuntur, *l. 4. C. de LL. ROSENTH. d. l. cap. 6. concl. 10. n. 7.* nisi ratio tuendæ Majestatis aliud flagitet, aut alia circumstantia solida actum aliter determinari urgeat: sicut sæpius evenit, ubi qualitas objecti mutatur: ex quo casus terminis dispositionis non obscurè apparet exemptus. Caterum non injucundum erit hîc coronidis loco enodare; num dicti Longobardi hanc feudorum consuetudinem ex solo suo nativo, Scandinavia nempe in Italiam transtulerint: nec non, an à barbâ prolixâ nomen acceperint? Utrumque videtur negandum. Posterius ex eo, quod Longobardi nostri oriundi sint ex Cimbricâ Chersoneso, Gente Vinnulorum seu Vinnelandorum, ut aliis audiunt: quales populi prolixa cæsariæ & longiori barbâ quondam gavisii non sunt. Sed Longobardi genuini erant Populi Gentis Svevorum cis Albim in Marchiâ Brandenburgensi media & Ducatu Magdeburgensi jam ante Christum natum habitantes, quos progenies ista Vinnulorum devicit, & hinc ea ad differentiam patriæ gentis, ac quia tum sic moris fuit, ut supra de victoribus Insubrum notavimus, devicti populi Longobardorum nomen assumpsit: quod ex STRABONE & antiquis rythmis Germanicis optimè declarat JOH. ISAAC PONTANUS *Rer. Danic. lib. 1. fol. m. in Edit. Amstelod.*

lod. 30. & in CHRONOGR. DAN. *descript. fol. 711. & seq.*
Prioris quæstionis ratio constat ex supra dictis : Nam
quia feuda sunt quasi proprium quoddam & peculiare *πο-
λίτευμα* veterum populorum Gallia & Germaniæ, videtur
evenisse, ut Vinnuli seu Longobardi in nova sua Republ. in-
stituenda istos secuti sint, & fideles aut Vasallos per con-
cessionem feudorum cum juribus, commodis domina-
libus, nec non jurisdictione contentiosa pro more cætera-
rum Germaniæ gentium, (sub gradu tamen seu ressortu ap-
pellationum) sibi & Regno obligarint. Inter quos qui-
dem Gentes Francos maximè consuetudinem Feudorum
excoluisse putamus. Iphis autem solis originem minimè
tribuimus, ut contendit CAROLUS MOLINÆUS *de Con-
suetud. Parisiens. Tit. 1. n. 1. 12. 13.* neque arbitramur, quod di-
ctis Germaniæ Populis juxta H. GROTIUM *de J. B. & P.*
libr. cap. 7. §. 21. Gothi annumerandi sint, ut commen-
tatur quoque Magn. Dn. ZIEGLERUS *dict. loc.* Quia in
fragmentis earum legum quas CASSIODORUS & GOL-
DASTUS *Tom. III. Constit. Imperial.* inter ceteros referunt,
feudorum & clientelarum nulla reperitur expressa men-
tio : neque Gothi ex sanguine Germanico oriundi sunt.
Hinc nec hodie apud Hispanos feudorum usus viget. A-
RIUS PINELLUS *ad l. 1. C. de bon. mater. p. 3184.* sed vice eo-
rum Majoratus est, & apud Lusitanos bona Coronæ in usu
sunt, DN. STRUV. *Jur. Feud. cap. 1. aphor. 7. fin.*

CAPUT II.

De

Voce Morganaticæ.

VOx Morganatica procul omni dubio natales suos civi-
tati & moribus Germanorum debet, & est idem ac

B 2

Mor-

MorgenGnade oder Morgengab / Morgengiffte / ut pro di-
versitate dialecti in diversis regionibus pronunciata repe-
ritur, Dn. STRUV. *Jur. Feudal. cap. 9. §. 5. n. 8.* Germani
enim variis modis dotare, aut donis afficere solebant ux-
ores suas. Quales donationes quidem Glossa & Interpretes
Juris Saxonici perperam ex LL. Romanarum fontibus de-
ducere satagunt. Hæ enim tum demum vim legis com-
munis habent, ubi peculiare Germanorum jus cessat: &
propudiosum foret Germanis, si ipsis ubiqve in juribus su-
is statutariis sanctiones Romanas revereri necesse sit. Qua-
re malè infert Glossa in *LandR. lib. 1. art. 20.* & *LehnR. art.*
31. Daß dreyerley Gabe der Ehe willen geben werde / daß erste
sey der Brautschatz / welches die Römische Rechte arrham, das
andere Morgengabe / welches selbe sponsalitiã largitatem,
das dritte heisse LeibGeding / welches die Römer donationem
propter nuptias nenneten. Nam quod arrham concernit, e-
jus usus ex moribus Germanorum vetustioribus, in spon-
salibus, aut matrimonio contractis, usquequaque non con-
stat. Sed mos hic apud Hebræos, Græcos, & Romanos
increbuit, ut apud JOH. SELDEN. *Uxor. Ebraic. lib. 2. cap.*
19. & PAUL. CYPRAEO *de Sponsal. cap. 11. §. 1. & seqq.* vi-
dere est. Germani verò ex eo plurimos lites desponsalibus
dirimendis & arrhis fortè reddendis evitarunt, dum mu-
nera demum altero nuptiarum die obtulerunt: Quamvis
aliud post indulgentia seculi ex legibus Romanis in locis
plurimis induxit. Sic in altera specie donationis Morgen-
genada aut Morgengaba cum Sponsalitiã Largitate Roma-
norum malè confunditur. Donatio enim Morgantica
seu Morgengabica jure Civili & Canonico est incognita:
Estve munus, quod primùm Longobardicis & Salicis, nunc
pene totius Europæ moribus sponsus altero mane nuptia-
rum sponsæ dat in præmium solutæ zonæ matrimonialis,
&

& in honoris & dignitatis testimonium coram cognatis & propinquis ante prandium ad id convocatis, ut WEHNER describit *in Observ. Pract. voc. Morgengab.* Sed sponsalitia largitas fit inter personas invicem desponsatas, nondum verò copulatas, saltem amoris & affectionis conciliandæ causa, consistens in jocalibus, aliisve pretiosis vestibus & monilibus, de qua *in Novell. 127. cap. 3. & tit. de donat. propter nupt.* Add. LAUTERBACH. *Compend. Juris ad Tit. de Jur. Dot. fol. 720.* Sed nec tertium firmum est, quod Germanorum Dotalitium idem sit, ac Romanorum donatio propter nuptias. Illud enim constituitur ad tuendum honorem pristini matrimonii, si viduitas per mortem mariti obtigerit. Hinc Germani id vocant, das LeibGeding / Leibzucht oder Wittumb. Aliæ verò Nationes pro modo idiomatis sui & usus recepti Dotalitium variis adhuc expriment nominibus. Sic Flandri illud vocant Duarium, Itali Dotarium, Hispani & Lusitani inter modos arrharam referunt, Franci Doaire, Delphinatus incolæ supervitam, Septentrionales Vitalitium seu Victalitium, alibi viduitatis provisionem appellant. NICOL. MYLER. GAMOL. c. 10. n. 12. Donatio propter nuptias verò in compensationem dotis introducta est. *l. fin. C. de donat. ant. nupt. Nov. 119.* Ita porrò dotalitium pro conditione personæ in civitate, castro, aut alia territorii parte, aut fundo quodam, seu bono immobili, fundatur. Quod secus est in donatione propter nuptias, quæ non minus, ac dos ipsa in pecunia numerata quamplurimum sub pacto quodam constitui solet. Ac demum dotalitium non quidem, ut multis placet, nudum usumfructum; nec tamen dominium aliquod irrevocabile in uxorem transfert, sed reale & plenum, revocabile tamen jus confert, quod post mortem uxoris ad mariti heredes regreditur, & cum eorum feudis & bonis con-

lidatur *Land X. lib. 3. art. 32.* Quod non servatur in dona-
tione propter nuptias, quæ in uxorem transit irrevocabili-
ter *art. permiff. C. de donat. propter nuptias,* & ad heredes
quoque est transitoria. Et licet non negemus in dotali-
tio quoque fieri quandoque respectum ad dotem illatam
ab uxore, ita ut hæc ex bonis mariti tantum post mortem
ejus accipiat, quantum ipsa dotis nomine attulit, atque his
in unam summam computatis mulier postea annuatim
pro singulis centenis decem recipiat, substantia dotis pe-
nes mariti heredes post mortem ejus remanente. HART.
PISTOR. *p. 1. qu. 40. n. 1. seqq.* tamen respectus dotis hic
non primariò consideratur, sed in id tantum, ut dota-
litii æstimatio iniri possit, quare natura dotalitii ad-
huc est integra, licet tacita quædam donatio propter
nuptias in tali pacto per interpretationem Dd. latere dica-
tur. Id quod sequentibus temporibus in favorem mulie-
rum introductum censemus, ut eæ arbitrium habeant, vel
eventualem & implicitam donationem dictam apprehen-
dendi, ex quo dotem & donationem reciprocam cum
simplo inter esse irrevocabiliter accipiant: aut dotaliti-
um eligant, ex qua interesse duplicatum ad dies vitæ tantum ha-
beant. Ex quibus apparet, quam jejunè faciant, qui jura
hæc de dotalitiis & Morgengaba, non minùs atque alia
de jure territoriali, Regalibus plurimis, It. de feudis, de ju-
risdictione superiori aut inferiori, vel ut Saxones loqui a-
mant, altâ & basâ ex sancitis juris Rom. dimetiri satagunt,
quasi ista non in liberrima Populi usurpatione consisterent,
aut jura Romana in Imperio recepta consuetudinibus non
reprobris (nam reprobræ aliquæ in *R. J. de anno 1577. tit. 38.*
& *Nemes. Carol. art. 218.* notantur,) præjudicium ferrent.
Idcirco Annales rerum Germanicarum, & consuetudines
hinc inde in scripturam redactæ, item observantia Fori in
Germania hæc jura Germanica optimè interpretabuntur,
quo-

quoad eorum latitudo sese extendat. Nam extra horum
Jurium receptos terminos stricta fit eorum interpretatio
per *text. 2. Feud. I.* Et hinc quoque SERENISSIMUS SAXO
non vult, ut Ejus Constitutiones ad casus similes per quan-
dam consequentiam extendantur, sed si quod dubium ex-
pressè non reperiatur decisum, id ad Serenissimum potius
referri jubet *in Resolut. Gravam. tit. Von Justit. Sachsen/
S. Damit aber zum 49sten.* ne aliàs occasio detur in Judiciis
& Collegiis Juridicis contrarias invicem opiniones indu-
cendi, & tanquam peculiare observantias in locis diversis
faciendi. Per quod non usque quaque firmum videtur bro-
cardicum Dd. quod, ubi ratio sit expressa in statuto & con-
suetudine jus commune corrigente, vel etiam non expres-
sa, unica tamen, ibi ex identitate vel majoritate rationis
licita sit extensio. AUT. CONSULT. CONSTIT. SAX.
Francof. Edit. Tom. 3. qu. 3. fol. 44. n. 7. Hæc de voce & na-
tura Morganaticæ.

CAPUT III.

De

Essentia & Origine Morga- naticæ.

Cum de Matrimonio ad Morganaticam nobis jam ser-
mo primarius sit, hoc caput absolvamus brevius. Nem-
pe Morgengaba est munus matutinum, quod Maritus no-
bilis novæ nuptæ post primum concubitum, altero im-
primis nuptiarum die, in præmium zonæ matrimonialis
solutæ in re quadam pretiosa adjectâ pecuniæ summâ &
aliis pro regionis consuetudine præstat. Constat exinde
I. discrimen inter Morgengabam & dotem, utut hæc vul-
go Morgen-Gab oder Mit-Giff nuncupetur. Dos e-
nim

nim datur ad onera matrimonii ferenda l. 7. ff. de jur. dot.
i.e. pro sustentatione uxoris & familiae; ac pro suppellecti-
li comparanda, quam res familiaris requirit; Morgengaba
ob officium matrimoniale praestitum offertur, Wenn die
Decken beschlagen oder das Ehebett beschriftet wor-
den / Illa 2. defertur ab uxore in maritum, vel à cogna-
tis quoque; & qui erga foeminam affectionem habet, l. 5. ff.
de jur. dot. Hæc à marito novo in uxorem, vel eo, qui af-
fectionem mariti conjugalem juvare studet. Land X. lib. 1.
art. 20. cum Gloss. Dos 3. datur cum dominio civili &
revocabili l. 5. C. de fund. dot. l. 21. C. l. 10. §. fin. ff. d. fund.
dot. Morgengaba cum pleno & irrevocabili per Land X.
lib. 1. art. 20, 21. ubi Die Frau erbet die Morgengab auff
ihre Erben / und mag damit thun und lassen was sie
will / ibiq; glossa II. Qualitas subjecti, qualis sponsus per ju-
ra Germanorum Morgengabam praestet, nempe Nobilis &
Illustris Land X. d. lib. 1. art. 20. fin. verb. Du vernehmet / was
ein jeglich Mann von Rittersart mag geben seinen Weibe zu
Morgengabe des Morgens / als er mit ihr zu Tische gehet / vor
Essen etc. & sub fin. ubi Alle die von Rittersart nicht sind / die
mögen ihren Weibern nicht geben zu Morgengabe / denn das
beste Pferd / oder Viehe / daß sie haben etc. cui ultimo tamen
observantia ubiq; penè locorum derogavit. III. Differen-
tia à qualitate temporis determinata, quod donum sit ma-
tutinale, quando nempe matrimonium per concubitum
consummatum est secund. jam dicta, ut uxor exinde fiat o-
pulentior, ac ex annuis redditibus hujus muneris, non tan-
tum durante matrimonio, privatum peculium habeat, sed
& postea in viduitate honestè & decenter vivere possit.
ALVAR. VALASCUS lib. 1. Consult. 2. n. 4. Cæteroquin
Morganatica non debetur, licet vel coram Parentibus, aut
in pactis dotalibus promissa, aut benedictio etiam sacer-
dota-

dotalis secuta sit, nisi ascensus quoque tori conjugalis secutus, velut jura Saxonica de emolumentis Conjugum in *LandR. lib. 1. art. 45.* disponunt, & aliæ Nationes id in lucrandâ Morganatica nostrâ communiter receperunt. NICOL. MYLER, in *Gamol. cap. 16. n. 9.* Siquidem aliàs finis, nempe premium Zonæ solutæ, & ut familiare peculium, einen eignen Pfennig / ad sui liberaliorem sustentationem habeat, cessant, si matrimonium non consummatum fuerit. IV. Objectum seu res, in qua Morgengaba constituitur. Ubi quidem in genere non inficiandum, quod ea in rebus quibusvis, mobilibus, immobilibus aut annuis redditibus præstetur; more tamen obtinuit, ut in & extra Saxoniam, secundum luxuriam seculi atque nubentium dignitatem ac facultates, jocalia pretiosa donentur ein Kleinodt / Diamant oder ander Schmuck annexa certâ pecuniæ summa, die der Frau zu freyer disposition übergeben wird / Quod plerumque fit hujusmodi verbis formali- bus: Wir Fürst N. geloben und versprechen Fräulein N. unser Gemahlin zu einer gewöhnlichen Fürstl. Morgengabe ein Fürstl. Kleinodt nebenst N. tausend Thaler zu verehren / welche Summen Geldes alsbald nach beschlagener Decke Ihr geschossen werden sollen / und wird ihr damit nach ihren Willen und Wohlgefallen zu disponiren und es eigenthümlich zu gebrauchen frey gelassen. Cum vero peculiari jure Saxonum *LandR. lib. 1. art. 24.* ad Morgengabam simul referantur foemellæ pecudes omnis generis velut eqvæ aratro nondum asvetæ, vaccæ cum vitulis, capræ, sues scrofa & similes, meritò videndum, an hæc dispositio sit determinativa aut extensiva, in quâ re nempe Morganatica oder die Sächß. Morgengnade consistere debeat? Sed ex Saxonice Scriptoribus constat, hanc Morgengabam esse singularem, ceu quæ non ineunte matrimonio à novo

C

ma-

marito offertur, sed soluto jam conjugio ex hereditate mariti per legis dispositionē relictae viduae debetur *LandR. art. 24. cum gl. lib. 1. CARPZ. p. 3. C. 33. d. 20. HART. PISTOR lib. 1. q. 44. n. 10. WEHNER Obser. Pract. voc. Morgengab.* Quare secundū modō tradita *Dd.* posterior hęc Morgengaba his imprimis ab illa differt, quod illa ex pactis dotalibus & facto mariti dependeat; hęc ex jure Saxonum immediatē deferatur: Illa ob officium conjugale præstitum; hęc in compensationem, ut videtur, bonorum mobilium, quorum maritus, uxore mortua, heres fit, concedatur. Cur autem illud peculium muliebre citra matutini temporis observantiam Morgengabe vocetur, res fortē obscura est; Hinc modestē & rectē eum censemus facere, qui in vetustis nemini suam, quā concepit, opinionem pro veritate imponit. Putamus tamen Morgengabam posteriorem imprimis secundum primos Saxonum mores à priori specie parum differre. Sed duplicem eam saltem finem habuisse, nempe datā esse mulieri in premium pro rudimento seu officio matrimoniali præstito, & ut habeat compensationem per eo, quod maritus post mortem suam bona quæque mobilia lucretur. Utrumque autem communiter mane in altero nuptiarum die expediebatur. Quod ut credamus movent verba *LandR. lib. 1. art. 20.* ubi *Ein ieglich Mann von Rittersart mag geben seinem Weibe zu Morgengabe des Morgens/als er mit ihr zu Tische gehet / vor Essens ohne der Erben Laube einen Knecht oder Magd / und das Feldgenge Viehe.* Sed cum de Jure Saxonum conjuges post matrimoniū consummatum bona indivisa habeant, sic sizen in ungezweyeten / oder ungezheilten Guth / *LandR. lib. 1. art. 31.* & maritus heres mobilis demum post uxoris obitum fiat, Morgengaba in pecudibus foemellis consistens quoque effectum dominii ad

uxo-

uxorem transferre nequit, nisi maritus mortuus sit, & tum, moderatore rei familiaris defuncto, vidua jure proprio Morgengabam sibi vindicat. Quorsum referenda sunt verba LandR. lib 1. art 24. Nach dem Hergewette (i. e. mortuo marito, quo res Expeditoriae dantur) soll das Weib nehmen ihre Morgengabe / da gehören zu alle FeldPferde / Kinder / Ziegen und Schweine / die vor dem Hirten gehen / &c. Wie auch das Nutzheil und Gerade &c. Coetera verò res in Morgengabam datae, ut servus, serva, equus, monilia jocalia, pecunia parata, aut census annui cum presentem non minus atq; futurum mulieris statum & liberaliorem sustentationem respiciunt, omnino uxori statim cedunt, modo ea non re sua fortè abutatur, ubi animadversio mariti, seu capitis familiae non videtur exclusa. Atque ex his apparet latitudo Morgengabae, quae olim perpacta, vel oratenus, vel (sequentibus seculis) per scripturam, & partim, mediante traditione, partim etiam quadam demonstratione, aut designatione fieri & in mulieres transferri consuevit. Quae consuetudo in Saxonia nostra inter Nobiles etiamnum observatur quandoq; ita ut in pactis dotalibus non modo dispositio de dotalitio, sed et de Morgengaba fiat, quae priores species, nempe jocalia & summa quaedam pecuniae altero nuptiarum die illico praestatur; pecudes verò post mortem mariti unà cum gerada & comestibilibus transeunt, nisi certam pecuniae summa pro iis solvi placeat, ne inventaria praediorum nimis vilescant: Ethuc quoque spectat, quod Saxo dicit Morgengab erbet die Frau auff ihre Erben / und mag damit thun und lassen / was sie will / (i. e. matrimonio soluto quoad omnes ejus species) das Leibgeding aber nicht / **AUTOR DIFFERENT.** *Jur. Civ. & Sax. p. 2. diff. 49.* Extra Saxoniam verò & apud personas Illustres pecudes ad Morgengabam relatae



parum attenduntur, sed priores saltem species pro dignitate considerantur, nempe: Ein Schmuck oder Kleinod / nebenst einer Summen Geldes oder assignation gewisser Renten &c. Demum de origine Morgengabæ jam dictum, quod ea sit Populis Germaniæ ascribenda. Quorsum facit testimonium, TACITI *de Morib. German. cap. 18.* ubi testatur, *dotem non uxorem marito, sed maritum uxori offerre: atq; tum Parentes & propinquos interesse, & munera probare,* quod de Morgengaba altero nuptiarum die intelligimus. Nam si de dote ea acciperemus, non convenirent verba CÆSARIS *de Bell. Gall. lib. 6. ubi: Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis estimatione facta cum dotibus communicant. Hujus omnis pecuniæ conjunctim ratio habetur, fructusq; servantur. Uter eorum vita supererit, ad eum pars utriusq; cum fructibus superiorum temporum pervenit.* Hactenus CÆSAR. Ex quo loco antiquissima ratio dotalitii æstimandi & communionis bonorum inter conjuges liquidò apparet. Quos mores deinde circa Morgengabam & dotalitium quoque præter Longobardos, Ripuarios, Alemannos, qui ipsi Germaniæ incolæ sunt, & Hispani, Cataloni, Lusitani, Neapolitani & alii receperunt, & hodiernum observant; de quibus plura scripsere ALVAR. VALASCUS *Consult. tom. 1. Decis. 2.* PAULUS CYPRÆUS *de Jur. Connub. c. 13. §. 41. n. 4.* & qui sunt citati à NICOL. MYLER *in Gamol. cap. 15.*

CAPUT V.

De

Matrimonio Legitimo.

Commodè Matrimonium ad Morganaticam describere & expendere non poterimus, nisi legitimum Conjugium

gium in se, hic præsuppositū, generis loco prius investiga-
verimus. Per Matrimonium igitur legitimum intelli-
gimus, quod secundum dictata juris moralis & ordinatio-
nem Ecclesiæ potestatisq; Civilis est initum. Ubi quidem
non putamus legem moralem de Matrimonio ineundo
& gradibus prohibitis generi humano per speciale manda-
tum esse impositum, ut hinc ad omnem posteritatem de-
ferretur; sed censemuseos in prima statim creatione cum
reliquis sapientiæ divinæ Oraculis homini per Deum Elo-
him inspiratam esse. Nam cum Deus post spatium sex
dierum ab opere creationis cessaverit, atque microcosmus
non minus ac macrocosmus, ceu opera absolutissima &
valde bona, celebrata fuerint, vix est, ut judicemus, quic-
quam pertinens ad totius humani generis regimen ac ob-
ligationem fuisse residuum, quod Deus homini postea im-
posuerit. Atque hinc non malè sentire videntur ii, qui
scribunt, jus naturæ ante lapsum fuisse portionem & de es-
sentia hominis, quoniam nec Deus hominem nudum,
& corporalem modo substantiam, sed creaturam quo-
dammodo divinam condere clementissimè voluit, qui
in hoc à cæteris animalibus differre debebat, quod hæc
spiritum vitalem ad vivificum gignendum calorem &
alios corporis actus exercendos ex ea habeant materia, ex
qua ipsa sunt, quippe quod ad finem suum obtinendum
sufficiebat; homo verò per spiraculum vitæ sibi divinitus
inspiratum cum spiritu vitali etiam rationem & cœlestem
portionem sortiatur, cujus beneficio is Deo non quidē par,
sed similis aliquo modo, & voluntatis ejus gnarus est factus,
ut ita rite Deum Creatorem suum glorificare possit. Qui-
bus præmissis existimamus matrimonium juxta latitudi-
nem juris moralis in jure Romano §. 1. *Inst. de patr. pot.*
rectè describi, quod sit conjunctio maris & fœminæ indi-



viduam vitæ consuetudinem continens. Conjunctio dicitur, non contractus, quia contractus præsupponit objectum, quod in privatorum commercio est, atque adeo in subiecto contrahente obligationem, & jus ad rem cum efficaci actione producere debet: quod in matrimonio applicari nequit. Neque enim hic talis obligatio & actio datur, sed libertas personarum nubentium & nexus animorum in conjugio objectum matrimonii commercio rerum civili planè eximunt, & contractus naturam superant, ut *Magn. Dn. ZIEGLER ad Lancell. Inst. lib. 2. Tit. 10. §. 2.* commentatur, neque hinc actioni propriæ in personam locus est; sed officium Judicis modò extra ordinem implorandum, aut interdictis vel præjudiciis *arg. l. 1. §. 2. ff. de re vind.* agendum est, monente *UNGEBAUER Exerc. Inst. 3. q. 1.* Vox autem conjunctio videtur naturam & essentiam Matrimonii magis exprimere, tum, quia Deus ipse *Gen. 2. vers. 24. & Matth. 19. v. 16.* in institutione matrimonii voce hæc in suo idiomate usus est; tum & quia in conjugio duæ diversæ personæ non solam ratione rerum & mutua obligationis invicem conjunctæ intelliguntur; sed ambæ in unam carnem & unum quasi corpus cœeunt, adeò, ut arctissima fiat inde adunitio, sicut cutis carni coheret, & verè dicatur se ipsum diligere, qui uxorem suam diligit. Deinde in conjugio legitimo videndum, quid jungatur, & qua ratione conjunctio fiat. Quoad prius ex descriptione patet, quod sit conjunctio maris & foeminae; quæ duæ personæ diverso respectu matrimonii causam efficientem & objectum materiale sistunt. Illam, quatenus sunt principium conjugii effectivum & consensum matrimoniale præstant; hoc quatenus sunt principium illius passivum inclinationem nuptialem sistentes, & postea admittentes invicem obligationem legis conjugalis consecutivam

vam, ut vir non habeat amplius potestatem corporis sui,
sed uxor; nec hæc sui corporis potestatem habeat, sed vir:
& amplius maritus ex connubiali necessitate persentiscat,
quod suum jam sit, ut uxori & toti familiæ debitè prospiciat;
& uxor, quod liberos pariat, eos simul educet, & subsidium ac solatium mutuum pro sexus ratione subministrat. Atq; ad effectum hunc volitivum & receptivum obligationis hujus in mare & foemina requiruntur 1. ut corpora sint habilia, i. e. negotii capacia, ex quo impuberes & nondum viri potentes per *l. 4. ff. de rit. nupt. §. 1. Inst. de nupt.* ut & evnuchi, thlibiæ, thlasiæ, ubi perpetua frigiditas & impotentia est per *l. 10. C. de repud.* facilè excluduntur, 2. ut animus à nubentibus exprimi; & ei rite consentire queant. Quoad prius removemus furiosos mente captos *l. 6. C. de Curat furios.* summè ebrios, & similes, quoad posterius desideramus integritatem intellectus & voluntatis plenitudinem ac libertatem. Nam intellectus integer requiritur, ut nubens sciat in quale subjectum juxta divinam ordinationem & leges seculi consentire debeat; siquidem matrimonium initurus secundum præcepta legum coeat *§. 1. Inst. de nupt.* Exinde videndum, ne contra naturalem pudorem & sanguinis rationem arg. *l. 14. ff. de R. N.* impingat. Ampliari enim secundum æternum Dei decretum humanum sanguinem oportet, nec in se ipsum quasi redire, ut paterna reverentia & filiale obsequium, nec non castitas familiarum facta tecta servetur. Quod omne ut felicius eveniat, benedictio sacerdotalis adhibenda est, quam posteriores quidem Imperatores Græcos introduxisse apparet ex *Novell. Leon 89. c. non aliter XXX. qv. 5. & c. qvalis; ibid.* addatur *CYPR. de Jur. Connub. cap. 1. §. 6. 19. & seqq.* Item *cap. 5. §. 16.* & nisi dignitate ac lege peculiari quis exemptus ab hoc sit, tri-

nam

nam denunciationem de suggestu procuret *sec. cap. 3. X. de clarest desponsat.* quæve aliàs honestas externa & voluntas Principis ad evitaanda scandala exigunt. Deinde & plenitudo requiritur voluntatis, ut unà consentiant ei, in quorum potestate nubentes sunt. Absurdum enim, ut is, qui sui juris non est, sed voluntatem habet patris potestati subordinatam, possit copiam sui, spreto paterno arbitrio, facere alteri, & illius familiam, se inscio vel invito, augere: cum imprimis Parentes divinum quendam characterem intuitu liberorum suorum gerant, vi cuius eis in gravioribus negotiis *προβουλία* cum reverentia & obsequio perpetuo, quoad legi divinæ non fiat præjudicium, debetur. Id quod ipsa quoque divina justio tam generalis, quam specialis, & probata in sacris exempla, nec non consensus omnium gentium, & autoritas juris Civilis satis confirmant, *l. 2. l. 18. l. 35. ff. de R. N. l. 12. l. 20. C. de nupt. l. ult. C. de repud.* JOH. GERHARD *Loc. de Conjugio n. 66.* NICOL. REUSN. *lib. 1. Decis. 3. n. 31. & seqq.* CYPR. *de Sponsal. cap. 3. 4. 5.* Quapropter errant, qui consensum Parentum in liberorum nuptiis unicè in patria potestate civili fundant, aut cum Tridentino Concilio solum ex honestate quadam externa fingunt; sed radices ejus in ratione potius formali legitimi matrimonii, quod juxta divinam ordinationem voluntatem plenam in causa materiali requirit, indagandi sunt. Nec hic etiam matris voluntas in liberorum nuptiis sperni potest, *l. 6. ff. de in jus vocand* CARPZ. *p. 2. decis. 44.* imprimis ubi pater mortuus est *l. 20. C. de nupt.* utut aliàs in dissensu horum patris, velut capitis familiæ, arbitrium præferatur. Demum voluntas desideratur libera quoad subjecti conjugibilis electionem, per quod vis & metus abesse debet, *l. 21. 22. ff. de R. N.* cum nihil consensui æque adversetur, quam

quam violentia & metus. Demum quâ ratione & sub quo
formali conjunctio maris & foeminae fiat, docent verba se-
quentia, quod sit conjunctio individuum vitae consuetu-
dinem continens, qualis nexus indissolubilis vocatur in
sacro Codice una caro; & in jure Rom. quandoque καὶ
ἕξις conjunctio animorum *l. 3. pr. ff. de donat. int. V. & U.*
item consortium omnis vitae & communicatio divini hu-
maniq; juris *l. 1. ff. de R. N.* ex quo conjuges commixtam
familiam & unam domum invicem habent *l. 1. §. 15. ff. ad
Sct. Syllan.* Item dicitur maritalis affectio, quæ sola ma-
trimonium faciat, *l. 32. §. 13. ff. de donat. int. V. & U. l. 30. ff.
R. 7.* coitus enim ad usum, non ἁπλῶς & formam conjugii
pertinet, ut ALBER. GENTIL. *de Nupt. lib. 6. c. 3.* loquitur.
Atque per hanc individuum vitae consuetudinem, & unam
factam carnem conjuges reverà coram Deo pro uno ho-
mine habentur; non minus, atque Eva ex Adami carne a-
nimata producta pars corporis Adami mansit: quinimo,
ipso fatente, os de osibus suis, & caro de carne viri extitit.
Ex quo in conjugibus, quod una jam caro sint, sequuntur
hæc omnia, ut solidi Theologi SEBAST SCHMIDII *in Col-
leg. Bibl. part. prior. Loc. 19. de Conjug. §. 20.* verbis utar,
nempe *conjunctio familiarum, patrimoniorum, libero-
rum, consanguinitatum & affinitatum, laborum, letorum
& tristium, vinculum indissolubile usq; ad mortem, sicut
unus homo non nisi per mortem solvitur, & si quid aliud sit.*
hactenus D. SCHMIDT. Et proinde posita hac individua
consuetudine procul dubio damnatur pellicatus & poly-
gama simultanea velut rationi formali matrimonii adver-
santes: quod ex lumine naturæ vidit & probavit pru-
dentia Romanorum *l. 2. C. de incest. nupt. l. 18. C. de adult.*
BARN. BRISSON. *de jur. Connub. p. 78.* Eidemque non
potuit non applaudere *Ordin. Crimin. Car. V. art. 141.* &
D Or

*Ordinat. Matrimoniales & Ecclesiastica atque Constitu-
tiones Saxonica.* Nec parcus judicandum est de Roma-
norum Concubinato & Divortio. Nam concubinatus qui-
dem *l. 3. ff. de Concnb.* dicitur esse extra pœnam legis, puta
Julia, quæ in concubinato stuprum non vindicabat. Sed
tamen cum à Civilistis his fortè is circumscribatur termi-
nis, quod 1. fiat libidinis explendæ causa 2. per consuetudi-
nem diuturnam 3. citra maritalem affectionem 4. cum
persona minus honesta, quæ tamen sit unica, constat,
quartum & quintum requisitum quidem conjugio legiti-
mo parum obesse, sed secundum & tertium matrimonii
formæ obstare, quæ consuetudinem perpetuam & conju-
galem exigit; primum verò primario fini contraire, qui
procreationem prolis & mutuam consortium intendi ju-
bet. Neq; Judæorum prava laudanda consuetudo, quod
uxores secundarias sine instrumento dotali ducendas per-
miserint, ut ut ab ethnicis & extraneis abstinerint, de qui-
bus TACITUS *lib. 5. Histor.* Adversus omnes alios hosti-
le odium fovent separati epulis, discreti cubilibus proje-
ctissima ad libidinem gens alienarum i. e. exterarum con-
cubitu abstinent, add. JOH. SELDEN *de Success. Ebræorum
in bon. cap. 3. fol. 17.* Eodem modo Divortia contra for-
mam & indissolubile Conjugii vinculum Judæi non mi-
nus ac Romani receperunt, cujus injustitia Judæis minimè
gentium ignota fuit, velut qui conjugium hominum
gentilium, qui ad Judaismum transierant, pro legitimo
habuere, neque profelytismum in fide connubiali antè
data quicquam immutare passi sunt. Ex quo utique cre-
didere initum matrimoniale vinculum ex jure naturæ ne-
xum indissolubilem habere. Ita si fœmina per divortium
esset ejecta, & hæc secundo viro nupserit, priori marito
propinquis posterioris non minus interdicebatur, atque
suis cognatis, quod rursus ob pudorem personalis unitatis
con-

conjugum invicem observarunt SELDEN *Uxor. Ebraic.*
lib. 1. c. 3. & lib. 2. cap. 18. ac hinc isti extra causam adulte-
rii, non nisi ex duritie cordium divortiis indulserunt. Ne-
que ex singularibus & heroicis quibusdam exemplis Pa-
trum verbum & ordinatio divina dimetienda est, pro ut
hac in parte iudicio Theologorum relinqvimus, an Deus
Optimus Maximus ibi circa poenam facto per se debitam,
an circa factum ipsum dispensaverit, aut dispensandi cau-
sa prorsus cessaverit: cum imprimis tale factum hic subsit,
quod divinâ lege tali recedit, quæ œconomiam universi
generis humani primariò respicit. Cæterum Romani
quingentis aut sexcentis, ut alii volunt, annis sine divortii
usu usque ad notissimum illud factum Spurii Carbilii Ru-
gæ, qui sterilitatis causa primam uxorem dimisit, Rem-
publ. inclytè transegerunt, & Rugæ quidem divortium, li-
cet sterilitatis causam prætenderet, minus probarunt,
censentes cupiditatem liberos procreandi fidei conjugali
non esse præferendam HALICARNAS. *lib. 2. GELL. lib. 3.*
cap. 3. & lib. 17. cap. 21. Quare frequentior postea divor-
tiorum usus index est, luxuriam & libidinem, potentiâ Eo-
rum invalescente, pristinam integritatem & observantiam
juris naturæ oppido corrupisse: & licet seculis sequenti-
bus *l. 8 §. 2. 3. C. de divort. Nov. 22. cap. 5. Nov. 117. cap. 8. 9.*
per varias præfinitas causas licentia divortendi coercita
fuerit; non tamen ea cum prima matrimonii institutione
& Christi repetitione ejusdem *Matth. V. v. 32. & 19. V. 9.*
1. Cor. 7. usquequaque intelliguntur convenire. LAUTER-
BACH *Compend. Jus. Civ. Tit. de Divort. & Repud. fol.*
729. Quapropter hodie in Christianis Rebus publ. hac in
re potius Jus Canonicum & ordinationes Provinciales,
ut sic ubique in Conjugiis una caro & individua vitæ con-
suetudo servetur, observari palam est.

CAPUT V.

De

*Matrimonio cum Pacto ad
Morganaticam.*

Igitur quale Matrimonium juxta divinam ordinationem esse oportet, tale quoque in eo, qui uxorem ducit ad Morganaticam, requirimus. Pacta enim adjecta actui hunc quidem alterare possunt, quatenus is ex dispositione hominum dependet; secus ubi ordinatio divina actum informat, ibi homini nil, nisi obsequii gloria, relicta est. Et hinc patet, pactum hoc non posse essentiae matrimonii, velut à potestate divina proveniente, adjectum esse; sed aliquibus modò effectibus, causam matrimonii aliàs sequentibus, quos id pro utilitate familiae, aut prioris conjugii liberorum quasi limitare satagit, ut ex descriptione Matrimonii ad Morganaticam apparet, quod definimus: quod sit conjunctio legitima viri illustris cum foemina status inferioris individuum vitae consuetudinem, sub pacto à Principe confirmato, continens, ut uxor & liberi ex ea nati certis bonis & annuis redditibus in pactis dotalibus expressis vivant contenti, abstineantque à titulo paterno & bonis feudalibus, aliisque allodialibus, quoad liberi primi matrimonii extent. Genus & differentia ex capite praecedente constat. Subjectum habet qualitatem adjectam, ut Vir sit persona illustris, aut nobilis. Plebeji enim non habent feuda; etsi habent, favor dignitatem familiae conservandae datus non militat. Nobilitatem autem intelligimus civilem, quae est dignitas, qua quis legitimè à plebeja conditione eximitur & per gradus erigitur, ut THOMAS MILLES, *Tract. de Nobilitate* eam describit. Inter gradus autem

tem has referimus personas, Illustres, Illustrissimas, Celsis-
simas, Serenissimas & similes: Fœminam supponimus sta-
tus inferioris. Dedignabitur enim tale matrimonium ea,
quæ pari natalium splendore cum Viro gaudet, nec Agnati
in talem ejus desponsationem consentient; neque ipse quo-
que dignitatis status patietur, tale inter suum ordinem ini-
ri matrimonium. Causa impulsiva est vel externa, ut vi-
res & facultates, eove splendor familiæ conserventur; vel
interna, nequis in peccato vivat, ut textus noster habet.
Nec enim cuiusvis est se continere, quoniam satius dici-
tur nubere, quam uri & fornicari. Pactum adjectum di-
ximus effectus Matrimonii genuinos limitare. Sunt au-
tem hi alioquin fere sequentes: communicatio corporum
1. Corinth. 7. n. 3. 4. Gen. 2. v. 24. Susceptio & educatio pro-
lis: item in utrisque viro, uxore & liberis certo modo bono-
rum participatio & dignitatis *l. 8. ff. de Senat.* communi-
catio, participatio utriusque fortunæ *l. 22. ff. solut. Matrim.*
nam recedens ab officio ad redeundum compellitur, *c. 13.*
X. de restit. Spoliat. & in genere communicatio divini hu-
mani que juris *l. 1. ff. sol. matrim.* qua mulier viro fortunarum
& sacrorum socia, ac ille domus dominus; hæc domina di-
citur, ut antiquissima lex Romuli voluit, teste HALI-
CARN. *Histor. lib. 2.* & mores Germanorum probarunt
veterum, TACITO testante, *de Mor. German. cap. 18.* At-
que cum effectus hi quasi naturalia matrimonii sint, quæ
illius essentiam non ingrediuntur, sed eam naturaliter &
ordinariè sequuntur, sicut evictio naturale contractuum,
ubi quædam invicem permutatio initur, vocatur; quare
hæc per adjecta pacta limitari, & quoad ea causam fina-
lem actus primariam non simul violant, aut aliam legem
moralem offendunt, ex partium voluntate quoque possunt
mutari. Hinc communicatio corporum, vel ob uxoris

teneram ætatem inter personas Illustres, aut devotionem, aut aliam rationem fonticam limitari potest, tolli autem nequit, quia finis & individua consuetudo nubentium id non patitur. Sic in communicatione dignitatis & bonorum, ac in his præcipuè temperamentum non malè additur; cum primis, ubi mas bona quædam habet cum onere, nempe ad certa servitia militaria præstanda, & ad status sui conservationem, ex quo ipsius & familiæ interest, ne fructus fundi, nempe feudalis, inter plures dividantur: cum viribus distractis ubique nec familiæ splendor, & dignitas servari, neque servitia Domino æquè commodè præstari queant. Igitur cum per pactum ad Morganaticam temperamentum quoad participationem bonorum & dignitatis præcipuè fiat, è re erit matrimonii illius requisita expendere, quæ juxta descriptionem nostram & textum 2. Feud. 29. sunt sequentia. (1. ut uxor & liberi ex ea nati sint legitimi, daß zwischen beyden verlobten Per. ohnen / ob gleich ungleiches Standes und Herkommens / eine rechte Christliche Ehe / und die von ihnen erzeugten Kinder beyderley Geschlechts recht und ehrlich geböhren sollen seyn / bleiben und gehalten werden. (2. Ut utriqve certis tantum Dynastis, feudis, aut aliis redditibus, in instrumento dotali determinatis, vivant contenti, daß sie sich mit dem jenigen Ambt / Schlos / Dörffern / oder Güttern / die ihnen / laut auffgerichteter Ehe-Pacten / verordnet worden / sollen abweisen und vergnügen lassen. (3. Ut liberi hinc in bona Patris feudalia, sive soli, sive cum consanguineis fratribus primi matrimonii supersint, non succedant, Daß sie sich mit oder sonder den Söhnen erster Ehe der Väterlich-Fürstlichen / Gräfflichen / Herrlich- und Adeltichen Stam-Güter nicht anmassen. (4. Ut spem bonorum allodialium tantum, liberis prioris conjugii non extantibus, habeant, Daß sie der Fürstlichen Mobilien / so lange von Kin-

Kindern erster Ehe iemand am Leben ist / sich nichts erblich zu
erfreuen haben / & (5. Ut uxor Morgengabica cum liberis
suis à nomine, titulo, insignibus & dignitate paternâ absti-
neant, Das sie sich ihres Herrn Vaters Gnaden Fürstl. oder
Väterl. Gräffl. Herrl. Namens / Tituls / völligen Wap-
pens / Ehren und Würden gegen ieder männiglich enthalten
sollen. Quæ tamen requisita pro diversitate temporis &
status non æqualiter in Germania usquequaque observata
esse, annales testantur, nec dubium, quin hic, velut in ar-
bitraria determinatione eorum, quæ extra rei substantiam
habentur, magna vis sit consuetudinis. Reqvirimus au-
tem (1. Ut uxor & liberi sint legitimi, ceu patet ex eo, quod
primum contrahens ad Morgenaticam nolit existere in
peccato, quod citra legitimum matrimonium non fieret:
cum omnis complexus extra Conjugium legitimum veti-
tus & peccaminosus censeatur: & deinde quod secundam
conjugem sibi sponderit & sponsalia contraxerit, quæ
characterem legalis matrimonii inferunt. Et hinc matri-
monio ad Morgenaticam minimè annumeramus cum Dn.
NICOL. MYLER. in Gamol. c. 6. 1. 15. nuptias FERDINANDI
AUSTRIACI IMPER. FERDINANDI L. filii, quæ cū Phi-
lippina Welfera, Patricii Augustani filia, circiter annum
1557. contraxit, quia ibi Pater Imperator non consenserat,
sed clam erant initæ, hinc nec Pacta Morganatica præces-
serunt, sed FERDINANDUS ab Ordinibus postea Provin-
cialibus Austriæ vix impetrare potuit, ut exiguum castel-
lum ex tam opulento patrimonio detraheretur, quo CA-
ROLUM grandiori natu filium ex Welfera susceptum cum
Marchionatus titulo donaret. Licet enim FERDINAN-
DUS Welferam, quamdiu illa vixit, legitimæ uxoris loco
habuerit; per leges tamen Imperii & laudabile institutum
Germaniæ: quæ, ut graviter censet, JAC. AUG. THUA-
NUS

NUS *Histor. lib. 71. fin. ad an. 1580. maximè præ omnibus Nationibus honestatem Conjugiorum juxta Dei præceptum colit, nuptiæ citra parentum consensum contractæ minimè existimantur legitime, & proinde Velfera nec legitima FERDINANDI uxor, neque liberi ex ea suscepti tantæ successione capaces ab Ordinibus Provincia habitæ sunt.* Haftenus THUANUS. (2. Ut uxor & liberi certis bonis, ad sustentationem eorum deputatis, contenti vivant. Quod intelligendum pro dignitate personarum & facultatum qualitate. Ac proinde nec viduæ nomine Dotalitii vel Morgengabæ quid amplius petere, neque liberi ex bonis familiæ præcipuis post mortem Patris quicquam exigere queunt. Die Wittbe sol ihrer Weiblichen Gerechtigkeit halber an Wittumb / Morgengab und andern Vernehmung bey dem Fürstl. Gräffl. Stam-Haus nichts fordern / auch die Kinder von den Stam-Mobilien nichts begehren / Neque, hic obstat videtur textus I. Feud. 8. quo dicitur, quod mortuo Vassallo descendentes ei masculi succedant, nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente, ex quo AND. KNICHEN *Tr. de Vestitur. Paction. part. I. cap. 2. n. 380.* scribit: quod pater unum filiorum aliis præferre hic nequeat, quia singuli ex legis beneficio vocentur. Cui accedit, quod liberi masculi ex pacto & providentia Majorum, atque sic à primo acqvirente feuda nanciscantur, & proprio quasi jure in ea succedant: sicuti & in literis Investiturarum heredes masculi, Die Mänliche Leibs und Lehns Erben / nominantur. SCHNEIDEW. *ad Jus Feudor. c. 2. p. 4. fol. 348.* Quare pater in suis pactis nuptialibus jus hoc liberis non videtur posse intervertere. Sed hæc minus obstant. Nam textus Juris feudalis loquitur de ordinatione testamentaria, quod vox defuncti indicat. Et si is generalis foret, in nostro tamen casu maximè favorabili facile
ejus

ejus limitatio admitti posset. Sic licet aliàs regulariter
in pactis investituræ omnis posteritas mascula continea-
tur, singuli tamen ex posteris jus successionis, mediantibus
suis Parentibus, acquirunt. Siquidē & Deus orbē terrarū
Protoplastis & cuilibet bona temporalia intuitu posterita-
tis largitur. HUGO de ROY *Tr. de eo, q. Inst. est. lib. 1. tit. 5.*
p. 66. unde liberi vivis ad huc Parentibus domini quodam-
modo bonorum paternorum vocantur, §. 2. *de differ. &*
qual. hered. & l. 7. ff. de bon. damnat. dicitur, quod ratio
naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentum here-
ditatem addicat; & nihilominus jura indulgent, ut Pater
bona quædam liberis prorsus intervertat, aut inæquales
portiones constituat, modo legitimæ rationem juxta *Nov.*
115. non insuper habeat. Eodem modo in feudo exacto
& providentia filius, vivente patre, vi investituræ primæ
acquirentis habet jus, aliquod quasi satum, sed nondum
natum & formatum, quia feuda pro Vasallo & filiis ejus
dantur, ut hi tantum acquirant, quantum & quale pater
reliquerit. Hinc dicitur, quod filio hic patris factum no-
ceat, HART. PISTOR *p. 2. qv. 15. & q. 12* CARPZOV. *p. 2.*
C. 49. d. 12. sive respicimus feloniam, aut delictum præ-
vium, sive contractum alienativum cum consensu Domini
initum: et absurdum foret, ut pater, ante cujus mortem
filius efficax jus non habet, simili contractu, qualem pri-
mus acquirens cum domino iniit, cum ejusdem consen-
su talem contractum reformare nequeat. H. PISTOR.
lib. 2. qv. 4. n. 55. & seqq. Magn. Dn. STRUV. Jur. Feudal.
cap. 13. §. 16. n. 6. Quod jura Saxon. in tantum probant,
ut licet traditio & resignatio, die *Aufflassung der Lehn* / pa-
tre vivente, secuta non sit, tamen filius id postea impedi-
re aut negare nequeat per *Const. 3. in Append. Jur. Saxon.*
nisi fortè feudum sit novum, & filii in investitura specifi-

E

ca

ca & nominalis mentio facta sit. *Const. 4. ibid.* Aliàs filius feudalia bona patris nequidem ab allodialibus separare potest, sed in utrisq; voluntatem patris agnoscere adstringitur per *Const. Elect. 47. p. 2.* Imo verò quia Pater illustris, consentiente & confirmante id Domino, per inductionem Juris primogenituræ & apanagii filiis præjudicium ferre potest, de quorum requisitis agit LIMNÆUS, *Jur. publ. lib. 4. cap. 5. n. 122.* & SPRINGFELD *de Apanag. cap. 5. n. 47.* quidni & per pacta dotalia successio bonorum in favorem liberorum primi matrimonii, nec non splendorem familiæ conservandum, atque servitia domino commodius præstanda apud liberos morganaticos limitari, & spes successionis omnimodæ suffocari quasi potuerit? An autem ad Matrimonium hoc præcisè pacta dotalia requirantur, dubium est ex eo, quod Jure Civili ad legitimatorem per subsequens matrimonium *l. 10. 11. C. de naturalib. liber. & Novell. 89.* talia videantur necessaria, atque de Jure Civili aliàs ad similia bona sit argumentatio *l. 12. ff. de leg. præsertim cum & in nostro textu feudali dicatur, quod ea lege, i. e. eo pacto, nempe dotali, desponsatio fieri debeat.* Sed sicut instrumenta nuptialia ad legitimatorem dictam non ex necessitate absoluta, seu, ut vulgò dicunt, exigentiæ, sed solum expedientiæ, nempe ad modum probandi requiri putamus: cum legitimatio in se per mutuum affectionem concubinariam in maritalem absolvatur; ita de Matrimonio ad Morganaticam simili ratione inferendum remur. Nec existimandum Imp. Justinianum favorabile illud maximè negotium legitimatorem, quo uxori, liberis & Reip. quoque consulitur, cum intersit hujus urbes legitimis potius quam naturalibus liberis impleri *l. 2. de indict. videtur toll.* per necessitatem pacti quasi sufflaminare voluisse: & hinc duo Ablativi, queis

queis in allegatis legibus legitimatio compositis pactis do-
talibus sancitur ineunda, non formam aut conditionem;
sed factum referunt & dispositioni accedunt, ut WISEN-
BACH *Disput. 17. n. 33.* animadvertit. Id quod Jure Ca-
non. & moribus minus dubii habet *arg. cap. tanta X. quæ
liber. sint legit.* GUDELIN *de Jur. Noviss. lib. 1. cap. 16.* FA-
RINACIUS *Deciss. Crimin. 244. & 254.* Licet hoc fatea-
mur, quod legitimatio hodie benedictionem sacerdo-
talem desideret, *Nov. Leon. 89. c. non aliter XXX. quæ. 5. c.
qualis. ibid.* CYPREUS *de Sponsal. cap. 5. §. 16. & cap. 11.
§. 19.* & sic illius probatio etiam per libros Parochiales
commodè fieri potest. Quod vix locum inveniet in Nu-
ptiis ad Morganaticam quarum conditio haud solet di-
vulgari; & hinc fere ad legitimæ probationis necessitatem
hic Instrumenta dotalia requiri videntur. Quod autem
supra innuimus quantitatem Morganaticæ fieri pro digni-
tate Mariti & amplitudine patrimonii, in hoc antiqui Lon-
gobardi quoque modum posuerunt, velut qui GOLDA-
STO teste *lib. 2. de LL. Longob. Tit. 4. leg. 1. & Tit. 4. l. 4.
cod. fol. 18.* morgengabam quartam partem totius substan-
tiæ mariti, vel tertiam partem usus fructus omnium bo-
norum noluerit excedere: quod tamen de universo dono
matrimoniali potius intelligendum, nec hic ea commodè
applicare posse putamus. (3. Requisitum est prioris con-
secutivum. Nam cum ad filiorum prioris conjugii &
familiæ splendoris conservationem Pater ex consuetudi-
ne feudali jus quasi plantatum per primam investituram
in personis liberorum Morganaticorum his intercipere
possit, sequitur, quod tunc isti liberi ad iudicium familiæ
hereditariæ in bonis feudalibus non admittantur. Et li-
cet ANDREAS de JSERNIA quem aliàs Evangelistam &
Aurigam Feudistarum vocant. H. PISTOR. *lib. 2. quæ. 1.*

n. 81. ad nostrum textum scribat, id irrationale esse, ut filii
ad Morganaticam in casu, quo alii non extent liberi, à feudo
patris sui excludantur: quia tamen feuda non in pa-
trimonio & commercio privatorum habentur, sed sint
bona Reipubl. ex quibus ordinariò non debeant liberi
sustentari, quod ratio naturalis aliàs desiderat; verum ser-
vitia Reip. præstari: quare non præcisè ex jure successio-
nis, sed jure investituræ dimetiuntur: neque liberis sim-
pliciter debentur, sed mediante demum Patris voluntate,
qui eis, consentiente Domino, emolumenta feudalia præ-
ripere aut antevertere potest, quare conveniens tale pa-
ctum hætenus juri non minus naturali, quam humano
positivo existimamus, cujus rationes in capite sequenti la-
tius sumus examinaturi. Sed valde hic durum videtur,
quod filii Morganatici etiam eo in casu ubi liberi prioris
matrimonii mortui sunt, simpliciter exclusi censeantur,
& Agnatis aliis in bonis feudalibus cedere debeant. An-
non communi Parentum voto & desiderio, atque ipsi pe-
nè naturæ hac ratione quædam injuria infertur? & num
probabile, quod genuinus hic legis nostræ sensus sit. Sunt
ergo, qui liberos Morganaticos in tali casu simpliciter ad-
mittunt: sunt, qui eos simpliciter excludunt. Priores
innituntur, 1. text. I. Feud. 8. §. 1. ubi frater exclusus à por-
tione feudali fratris, qui fecit istâ filiam suam investiri,
hac sine herede masculino mortuâ ad portionem feudi
istius admittitur, 2. text. II. feud. 26. §. filii, ubi pacto, ne
filii succedant, non obstante in feudo filios admittendos
disponitur 3. æquitate & voto naturali, quo quisque suos
liberos magis, quam alios conjunctos sibi optet bonorum
successores, & 4. quia quilibet suis liberis acquirere studet,
& vi investituræ quoq; feudorum descendentes quibuslibet
à latere venientibus præfert. Posteriores premunt 1. ver-
ba

ba expressa nostri textus, 2. urgent regulam Feudistarum, quod semel exclusus à successione Feudi semper maneat exclusus *L. Feud. 6. §. 1, & 3.* inferunt, quod in statutis eadē habeatur ratio, & foemina aut alius exclusus semel iterum non admittatur. Nos à prioribus facimus divortium respondentibus ad 1. quod *I. Feud. 8.* non reperiatur aliqua feudi exclusio, sed solum temporalis impeditio, quare, impedimento sublato, frater superstes vi primæ investituræ tanquam proximus agnatus utiq; ad successione feudi admitti debuit. 2. *ad text. II. Feud. 26. §. filii,* quod pactum de non succedendis filiis ibi respexerit allodium, non feudum, quod indicant 1. verba *ab intestata succedant,* & 2. quia Dominus Feudi non consenserat, quare sic textus hic magis sententiam contrariam firmat, dum ibi dicitur, quod conditio seu pactum nuptiis adjunctum, ne filii ab intestato succedant, ex usu feudali successione non impediatur, licet ratione improbat, quia necessitatem alimentandi liberos ratio dicitur, scilicet ex allodio & bonis omni modo propriis, cui tale pactum adversaretur. Sed quia bona feudalia per usum Longobardorum receptum & investituram antecessam ex bonis Reipublicæ ad publicas operas, non præcise liberorum sustentationem possidentur; hinc ab horum successione, disponente Patre, ac volente & confirmante Domino, liberi benè excludi possunt. Ad 3. & 4. rationem jam quovque responsam, cum ea magis ad allodii, quam feudalis naturam pertineant. At verò nec deessent, qui adversus Dd. posterioris sententiæ rationes proferri possent, imprimis contra regulam, quod semel exclusus semper exclusus existimetur, nisi Dd. celeberrimorum scripta, velut H. PISTORIS, HERM. VULTII, FR. HOTOMANNI & aliorum veritatem istius impugnantium jam pateant. Nos sen-

tentiam posteriorem limitans præmonendo, quod tabulæ nuptiales Morganaticæ diligenter sint inspiciendæ, & inibi videndum, an matrimonium id in favorem profapiæ & familiæ illustris jam existentis, an potius in favorem liberorum prioris conjugii initum sit. Priori casu subdistingvendum, an pactis eis clausula, quod uxor Morganatica & liberi in ordinem Principum & Comitum nolit recipi, ut solet, simpliciter sit addita, *Daß die Mutter nebenst den Kindern in den Fürsten oder Graffenstand keines Weges erho- ben / sondern sie in ihren augebohrnen alten / oder in der Heyraths Abrede ermeldet und zugeeigneten Stand allerdings / und bis auff ihr letztes Ende verbleiben solle /* an adjectis ver- bis limitativis in præjudicium illustrissimæ Familiæ, *Zum Nachtheil des alten Fürstl. Gräffl. Hauses und Stammes /* si illud, liberi ad Morganaticam ex numero Illustris ejus profapiæ paternæ prorsus sunt exempti, ac quoque per in- terdictum titulum & denegatam dignitatem Familiæ Pa- ternæ, & confirmationem pactorum Morganaticorum secutam successionis feudi illustris in capaces facti sunt; si hoc, nempe cum successio feudalis in præjudicium an- tiqvæ familiæ inhibita reperitur, liberi ad Morganaticam Agnatis omnibus mortuis admittendi sunt, nec tum re- ceptio in Principum aut Comitum ordinem, ab Impera- tore impetranda, eis negari debet, cum sic consuetudo Longobardica II. Feud. 29. videtur limitata: et hoc eò facilius admittendum, cum aliàs dispositiones inæqua- litatem inter liberos inducentes & jus successionis pater- næ constringentes strictissimè interpretandæ sint. Ubi verò Matrimonium id in favorem prioris conjugii libe- rorum contractum est, rursus videndum, an Pater illu- stris hos solos consideraverit, aut conservationem totius illustris avitæ stirpis. Si prius, *Wann nehmlich gesetzt / daß*

daß des Hn. Vaters Gnaden in Ansehung der Prinzen oder
Kinder erster Ehe das pactum ad Morganaticam beliebet/
oder danti selben an ihren Fürstenthum Herschafften / auch
andern Ehren und prærogativen kein Nachtheil oder Ver-
schmälerung zugezogen werde / liberi Morganatici non sim-
pliciter primâ investiturâ judicantur exempti, cum pacta
hæc ultra intentionem agentium non possint operari.
Quare liberis prioribus mortuis posteriores ad successio-
nem feudalem & Dignitatem paternam generis admit-
tendi sunt; posteriori verò casu minus admittentur
per rationes supra datas. Ubitamen non diffitemur,
quod posterius, nempe respectus totius Illustris fa-
miliæ cessantibus verbis apertis in dubio præsumatur,
tum ex autoritate nostri textus; tum & quia liberi mascu-
li ad Morganaticam semel à numero descendendum in
ordine ad successione feudalem sunt exclusi, & hinc,
quia successio hic non fit ultimo defuncto, sed primo ac-
quirendi, ex vi factæ investituræ & pactorum nuptialium
secutorum, præsumitur, Pater se accomodasse naturæ feu-
dorum & consuetudini Longobardorum in pactis ad Mor-
genaticam receptæ. (4. Requisitum fundatur jure &
præsumta voluntate patris. Nam cum feudum & allo-
dium diversa censeantur patrimonium, & prius moribus,
posterius legibus regatur; leges verò Patribus ultra legi-
timam portionem de bonis suis liberam disponendi facul-
tatem concedant; quare cum liberi Morganatici ex pactis
hujusmodi sustentationis media habeant, bona reliqua in
arbitrio paterno subsistunt, qui tamen mortuis filiis no-
minatis, quæ bona hæc tantum relinquere destinaverat,
liberos cæteros legitimos quoslibet præ agnatis & extra-
neis in bonis suis successores sibi voluisse præsumitur. Quæ
naturalis inclinatio parentum sicut *ex II. Feud. 11.* patet,
ita magis ex Civilistarum brocardico stabilitur, quod de-
fici

ficientibus filiis nominatis prioris matrimonii successio proximioribus non nominatis deferatur. NICOL MYLER. *Gamol. cap. 6. n. 34.* Hoc tamen monemus, ad bona allodialia non quævis mobilia referenda, sed separanda fideliter esse, quæ ad inventaria fundorum feudalium pertinent, vel quæ aliàs uxoribus ingerada, morgengaba & commestibilibus competunt, & imprimis in nostro casu, quæ ad Principum avita bona pertinent, *Welches Fürstl. Gräffl. Stamm Mobilia seyn/* qualia non deferuntur ad filios, qui non paterna insignia gerunt, & prærogativam ac jus primæ investituræ integrum habent. Quintum requisitum non parum durum est, quod liberi Morganatici à nomine, titulo, insignibus & dignitate paterna excludantur. Sed res videtur toleranda, quia hæc ab usu, nec non concessione & acquisitione summi Principis & Parentum illustrium dependent; inde filiis hæc qualitates, jus sanguinis & natiuitatis aliàs sequentes, inverti possunt. Quamvis enim concedamus, quod Pater & filius pro una eademque persona censeantur *l. fin. C. d. impub. & al. substit. ac filius paterni corporis portio dicatur l. 22. §. 1. C. de agric. cens. & colon.* & quæ aliàs ex Jure Civili adduci possent; vera tamen hæc solum sunt quoad effectus Civiles, & ubi paternus dissensus, antequam filii ex natiuitate jus radicatum habeant, effectibus eis non fuerit impedimento. Neque probationibus opus est, ubi manifestis instructi sumus exemplis & monumentis. Sic FRIDERICUS Victoriosus Elector Palatinus in gratiam Agnati PHILIPPI postumi, quem adeptavit, ejusque tuteliam gesit, Ann. 1462 ad Morganaticam duxit CLARAM nobilem de TELLINGEN, ex qua filium FRIDERICUM Baronem de SCHARFENEK; & deinde SOPHIAN BOEKLERIN iterum nobilem duxit, ex qua FRIDERICUM Comitem de LOVFENSTEIN sus-
ce-

cepit, quos Baronem & Comitum nomine contentos a
paterno titulo prorsus abstinere oportuit. TRITHEMILIS
in Hist. Friderici I. ibiq. MARQVARD FREHER, OL-
DENBURG *Limn. Enucl. GENEAL. PALAT. & BAVAR.*
post fol. 376. ZEILER. Itiner. German. p. 1. cap. 14. fol. 320.
Eadem ratione FERDINANDUS Dux Bavarix Ann. 1588.
uxorem accepit MARIAM PETEMBEKIAM hoc pacto,
ut liberi inde nati sint Comites de WARTENBURG &
SCHAUENBURG, nec præter, ea quicquam ex domo Ba-
varica prætendant. Ita quæ in Illustrissima Domo An-
haltina Principi GEORGIO ARIBERTO zu Wörlitz cum
JOHANNA filia CHRISTOPHORIA CROSECK nostra
ætate placuerit, ut nempe filii inde nati solum titulum
Dominorum de RADEGAST gerant, & quæ inde conti-
gerint, nota sunt. Nec est, ut adducamus è domo Lüne-
burgica exemplum antiquius à Duce AUGUSTO, qui Se-
cretarii sui filiam sibi junxit, eâ lege, ut liberi nobiles
sint, & cum matre sustentationem ex Episcopatus ejusdem
reditibus aus den Korbütlichen Stiftsgefällen und In-
traden haberent, ex quo conjugio hinc filius natus Jun-
cker Ernst von Lüneburg vocatus est. HENR. SALMUTH.
Quest. Princ. MYLERUS d. l. n. 11. cum recentiora hujus-
modi pacta in Illustrissima Domo Cellensi cum Madame
de HAARBORG satis notæ sint. Qvalia exempla de recepta
hac consuetudine in Germania nos certos reddunt. Quæ
verò de Insignibus paternis diximus, intelligimus hic scu-
tum, apicem, vel timbrum ejusq; fastigium, coronamen-
tum & galeam Schild-Helm und andern Zierath in Fürstl.
oder Gräffl. Väterlichen Wappen. Galea autem aperta
ein Thurnier Helm liberis his concedi solet, non clausa ein
Stech-Helm / quæ non per clathros, sed minuta foramina
lucem admittunt. Nam licet olim tales galeæ nonnun-
quam

F

quam



quã à magnis Principib9 usurpatæ sint; nostris tamẽ morib9
nobiles & Dd. ab hac clausa galea abhorrent. LIMN. *Jur.*
publ. addit. Tom. V. ad lit. b. cap. 6. SPENER *de Insignib. Sa-*
xon. sect. 2. cap. 2. Sed hæc ad istos spectant, qui artẽ Heral-
dicam ex professo tractant. Nobis sufficit notasse, quod
liberi Morganatici aliquam tantum portionem ex pater-
nis & avitis insignibus accipiant, & à cæteris, nisi fratres
& cognati eos quasi postliminiò, Cæsare id ratificante, in
familiam Illustrem receperint, abstinere jubeantur. De-
mum diximus liberos nostros Morganaticos incapaces
quoque fieri dignitatis paternæ, per quam intelligimus
privilegia, & præminentiam, quã Principes & Comites
Imperii gaudent, velut nomen *Das Sie / i. e. legitimi,*
auch bey Lebzeiten des Herrn Vaters des Heyl. Reichs Für-
sten und Graffen seynd und tituliret werden müssen / quare &
defuncto aliàs Patre Illustri, Filii Principatus administra-
tionem magis, quam ipsum Principatum obtinere cen-
sentur, salvo tamen ubiqve jure Majoratus, aut Primoge-
nituræ, ubi hæc introducta vigent. Deinde huc referi-
mus titulum solennem, Dei gratia, *von Gottes Gnaden /*
quo Filii Principum Imperii, Patre adhuc vivente, æquè ac
alii Principes, Principatum possidentes, utuntur: an ve-
ro id fiat jure suo proprio, aut ex privilegio saltem, ut BE-
SOLD *de Majestat. fol. 17.* & MYLER *ad Rumel. A. B. Dis-*
sert. 1. 0 4. volunt, non disputamus; sed hoc attigisse suf-
ficit, quod Principes Imperii de Majestate participant, quo
respectu non videtur absurdum asserere, quod jure pro-
prio titulum talem usurpent. Tum huc spectat jurisdic-
tio, quam Filii Principum Imperii ordinariò coram Ca-
mera & Imperio recognoscunt, unde pactis nostris sæpe
solet hæc clausula inseri, *das sie / liberi Morganatici, dem*
Regierenden Lands Fürsten / wie andere Adelige Unterthanen /
und

und Vasallen unterworfen seyn/ und denselben für ihre Lands-
Fürst. Obrigkeit erkennen sollen **AUTOR STEMM. CO-**
MIT Lobenstein & quæ alia sunt jura & præminentia
Principum, quales per pacta ad Morganaticam filiis Pa-
rentum Illustrium adimi solent. Atq; hæc sunt requisita
pactorum ad Morganaticam in se: quibus absolutis, ea
non abs re Imperatori. R. G. ad ratificandum offeruntur.
Nam licet dici posset, quod eo ipso, quo usus feudales in
genere recepti sunt, etiam pactum ad Morganaticam citra
peculiarem confirmationem valeat; imprimis cum con-
suetudo hæc specialis per rationem status & civilem utili-
tatem primùm quasi recepta, per experientiam progna-
ta, & pluribus deinde factis similibus adulta facta & con-
summata sit: ex quo vim legis habeat, imò derogare queat
legi scriptæ *l. 32. & seq. ff. de leg.* Quia tamen moder-
nus status imperii quoad Illustres Personas, & Ordines e-
jus longè aliam faciem refert, quam quæ tempore regni
Longobardici fuit, deinceps leges civiles in causis Perso-
narum Illustrium sæpè infelicitè applicantur: tum usus
Imperii constanter docuit, quod ratificatione hac opus sit:
nec porrò Investituræ tenor, quæ omnes liberi masculi ad
paterna bona & dignitatis vocati sunt, citra Imperat. Ma-
jestatis expressam voluntatem mutari potest; nedum
quod sprete confirmatione Imperatoria, credibile non sit,
ut post in foro contentioso vel executio paternæ volunta-
tis, aut tranquillitas in familia obtineri queat: ac demum
certum sit, quod ratificatio hæc Cæsarea & in pactis Gen-
tilitiis, Majoratus, Primogenituræ & similibus adhiberi
soleat, experientiâ & Historiarum monumentis id testan-
tibus, quare in pacto nostro ad Morganaticam eam simili-
ter requirimus.

CAPUT VI.

De Justitia & Æquitate Pacti Morganatici.

QVoad fundamentum & justitiam pacti ad Morganaticam non desunt utrinque rationes pro stabiliendo & destruendo eo, quas examinat laudatus Dn. MYLERUS, in *Gamolog*, cap. 6. Priores fundantur in communi consuetudine recepta & conservatione familiarum Illustrium ac splendoris bonorum avitorum. Unitas enim & integritas vires & auctoritatem servat; divisio, præsertim reiterata, eam atterit & minuit. Atq; cum inter sit Reipubl. R. German. Ordines & Principes habere potentes, quia plurimi potentiores & ambitiosos Principes externos vicinos metuunt; nec ratio status parata semper ex Imperio præsidia nancisci sinat; proinde pacta nostra velut valde & in publicum proficua prædicant: cum imprimis & liberi Illustres, antequam à suis Parentibus concipiantur & nascantur, in bonis eorum jus quæsitum non habeant; & hinc istis, honestis sibi alimentis relictis, quoad bona cœtera, Patris & Principis supremi factum firmiter obstare possit. Posteriores rationes nituntur hypothese Juris Civilis, quod hereditas non detur pactis, quæ valia imprimis lædant naturalem Parentum *εοργην*, nec non quod Instrumenta Morganatica inæqualitatem inducant inter liberos, quæ discordiam pariat, & liberos Morganaticos nobilitate generis privet, quæ tamen similiter privatorum pactio- nibus infirmari non debeat. Sed ad has rationes respondere non erit difficile, attento, quod hic non secundum leges, sed mores judicemus, 2. non quæstio sit de bonis pure

purè patrimonialibus & privatis; sed bonis & feudis Illu-
strum, ubi respectus & interesse publicum innexum est.
3. Non autoritate privatà successio in bona talia liberis in-
tervertatur, sed publicà, nempe eorum, qui de bonis hu-
jusmodi disponendi potestatem habent, & 4. interversio
fiat liberis eo tempore, ubi nondum nati, nec de jure quæ-
sito gloriari possunt. Sed licet hæc à multis graviter &
speciosè proponantur; nobis tamen, omnibus circum-
stantiis ritè perpensis, videtur tale matrimonium ad Mor-
ganaticam cuilibet Principi & personæ illustri seriò esse
dissvadendum, 1. quia Virtus & fortuna, quæis quis ad titu-
lum & bona illustria aspirat, teste sacro Codice, à Deo pro-
veniunt: Deus autem hæc confert non præcisè & deter-
minatò intuitu personæ primi accipientis, aut unius suc-
cessoris; sed totius ejus plerumque posteritatis: quare suc-
cessori ex posteritate, contra Dei & primi concedentis
voluntatem, ut apparet, expressam, non videtur inte-
grum esse, descendentes filios dignitate & titulo, familiæ
toti concessò, defraudari: cum imprimis 2. dignitas, ti-
tulus & præeminentia sanguini & familiæ concessa singulis
ex ea personis multò tenacius adhareant, quam bona
& aliæ qualitates; quinimò ea ipsum quasi sanguinem tin-
gant & afficiant intimius. Quod ex eo quoque apparet,
quod foemina illustrior Viro minus illustri nubens prio-
rem dignitatem non amittat, ut inter privatos quidem de
Jure Civili sancitum legimus *l. 8. § 12. ff. de Senat.* Sic
MATILDIS ALPHONSI I. Lusitaniæ Regis filia PHILIP-
PO Alfatiæ Comiti nupta Reginæ titulum servavit, & ELI-
SABETHA JACOBI VI. Angliæ Regis filia nupta FRI-
DERICO IV. Electori Palatino titulum Reginæ ad dies vi-
tæ retinuit, & regiis ceremoniis se honorari passa est. Plu-
ra exempla habet SPRINGFELD *de Apanag. cap. 3. n. 9. §*
seq. Cui accedit 3. quod inæqualitas talis dignitatis, emi-
nen-



mentia & bonorum in liberis' legitimis, juxta deprava-
tam hominum inclinationem, despectum erga Morganati-
cos pariat; contemptus verò 4. odii & inimicitia mater
certainissima sit. Nam spiritus filii Morganatici generosos
Pater Illustris temperare nequit: hinc dum iste intuetur
dignitatem & splendorem Patris aut fratris sui, & pectore
propriam sortem contemplatur, non potest non invehi
in manes & fata Parentum, atque invidia odiove erga fra-
tres legitimos incendi. Nec odium verò, rancor & hosti-
litas major datur, quam si mens generosa à cognato, quem
natura parem finxit, se videt contemni & vili pendi. Cujus
exemplum exhibet ULVILDA Regis Danorum, HADINGI
filia, quam Pater Guthorno privato homini in matrimo-
nium, dedit: de quo ista conquesta gravissimè dixit, se in ob-
soletos & despicabiles amplexu transmissam ab ignavo Pa-
tre: quod tunc commercium tamen suae felicitati derogare,
suam munditiam immunditiam ruralem contrectare,
suam dignitatem in indignitatem vulgarem inclinare: at-
que hinc crebris interpellationibus Virum adegit, ut spe,
potiundi regni mortem Regi inferret. SAXO GRAM-
MAT. lib. 1. Hist. Dan. quod in Morganaticis aequè ti-
mendum venit. Neque hi 5. à legitimorum quoque filio-
rum suspicione erunt securi. Nam cum legitimi spiritus
Morganaticorum norint, vix est, ne diffidant de fide eo-
rum; quin potius semper de incommodis & periculis ab
istis metuendis curam habeant. Sic enim fert natura, ut
generosus aliam sanguinis haud ignobilioris ex suo judi-
cet ingenio & sortem indignam illum non facile decoctu-
rum praesumat. Neque est, ut quis inferat, similem inae-
qualitatem in jure primogeniturae & Majoratus obveni-
re, ubi haec in illustri familia inducta sunt, & tamen pra-
vos hujusmodi affectus haud metui. Nihil enim haec de-
rogant dignitati & praerogativae sanguinis: siquidem fra-
tres

tres reliqui in Principum aut Comitum statu subsistunt; licet de potestate ipsis quicquam derogetur, & spem quoque ad primogeniti aut Senioris Familiæ potestatem & eminentiam habent, quod utrumque liberis Morganaticis est ademptum. In quantum autem habilitas & spes successionis in dignitatem paternam consoletur & medeatur saucio quodammodo animo quilibet mente potest concipere. Ex quo 6. resultat ratio, quod alii suppetant modi vires familiæ conservandi, si nempe consentientibus eis, qui juxta mores Imperii debent, apanagium liberis ex secundæ uxore constituatur. Nec deest postea in & extra Imperium honesta occasio sortem præsentem ampliandi, quod exempla plurima in Serenissimis Ducibus Saxo-Vinariensibus, & Holsatiæ satis demonstrant; ne dicam de Prælaturis & dignitatibus Ecclesiasticis in Imperio nostro, quæ pluribus illustribus Personis dignam sustentationem & stationem exhibere valent. Quibus addimus 7. & ultimò quod provisio hæc humana, quæ per conjugium ad Morganaticam intenditur, scil. ne prolixior numerus sobolis masculæ ex matrimonio iterato ditiones nimium attenuet, involvat diffidentem & vituperabilem animum erga Deum: In hujus enim est manu prole masculâ beare familiam: in hujus manu quoque est liberis concessis de sustentatione & statu convenienti providere. Quod exemplum omnibus notum in Serenissima Familia Ducum Saxonix satis roborant, ubi septem liberi Principes tantum terrarum portionem nacti sunt, quantum Celsissimus Eorum Parens ab initio regiminis sui ferè non obtinuit. Quare concludimus, eam nobilitatem, quæ sanguinem jam affecit, & totum quasi penetravit, non debere invideri, aut minui liberis perpacta quælibet, eave personis Illustribus omnibus modis dissuadenda esse. Quæis crenam, ne specimen hoc præter solitum excrescat, avertimus, cecidentibus illud, quod pietas suadet: Sit in quovis humano negotio, Numini & voluntati divinæ reverentia, laus & honor perpetuus!

Politisimo Juveni,
CASPAR I THEODORO
NÆVIO,

Amico longè charissimo,

C. S. SCHURZFLEISCHIUS.

GRata est mihi commentatio suscepta de argumento utili, & nulla vanitatis opinione quæsita, cujus seligendi auctor tibi fuit is, quo duce nihil sinistri metuas, si, quibus cœpisti, vestigiis alacriter insistas. Natalium dignitas jampridem te à vulgo distingvit & vindicat, majorumq; laudes in republica Saxonum eluxerunt, quæ lumen tibi præferunt, ut spem conatumq; sequendi nullus retardare labor possit. De qua via non declinandum putasti, & decori antiquo, quod sorte nascendi adeptus es, virtute & industriâ permultum addidisti, jamq; omnes muneris tui numeros implèsti. Est tibi amplus ad famam relictus locus, nec ullus tam difficilis & incertus aditus est, quo in tam pulchro gloriæ curriculo interclusus hæreas, aut converso itinere recedas. Difficultates patièdo vincis, & tempus, rem optimam, bene sapienterq; collocas, & rationes studii juridici ad vitæ usum comparas, nec modò ex præceptis & doctrinæ regulis, sed etiam ex rerum commentariis sapias. Qui necessaria sciunt, ii supervacua non discunt, nec tu es tam improvidus, ut de iis cogitationem suscipias, quæ nullâ quidem utilitate se commendant. Nam & dicis, quæ pulchra sunt, & disseris, quæ expediunt, & agis, quæ instituti gravitas postulat, & matrimonii lege Salicâ contracti ritum ex juris fontibus aptè & eleganter deducis. De vitæ morumque sanctitate libens reticeo & humanitatem, modestiam probo, ac omnia consilia bene tibi cadere cupio, quorum ratio in eo posita est, ut cum decus studiis, cum familiæ tuæ splendor accedat. clò Ioc XXCIII. Non. Quinçtil.


ULB Halle
006 682 006

3



VDA





B.I.G.

Farbkarte #13

FRIDICA

ONIO

ICAM,

M ORDINIS

LINÆVII,

RALIS ET CON-

QVÆ HIC SUNT,
NARI,

ATI STUDIO.

TORIS

ntie cultu et atem

mittit

US NÆVIUS,

rum

LXXIV.

, Acad. Typogr.

1684
12
10

107

17

